



S. Odilo Abbas. Cura defunctorum

[Köln], [1654]

S. Gudula Virgo. Constantia in bonis propositis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71907](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71907)



S. GUDULA VIRGO.

Constantia in bonis propositis.

Deus, cui S. Gudula Virgo indefesso
constanter servivit famulatu; da ut
qui nostram inconstantiam agnosci-
mus, ejus roborati auxilio, non defi-
ciamus à bonis, gratia tua aspirante
susceptis.

Ora pro vacillantibus in bono

✠

GVDVLA, parentum non minus sanctorum, Witgeri & Amalbergæ filia, & à sancta pariter matertera Gertrude educata; hac mortua, Hamum in districtu Bruxellensi rediit; ibique meritis & miraculis fulsit. Solebat illa quot noctibus Morselam ire, orationis causa. Id impediturus diabolus, lumen ab ancilla prælatum extinxit: quod ei oranti mox cælitus reparatum fuit. Obiit ibidem Hami circa annum 712. Corpus Normannorum metu ad varia circum vestum loca, Bruxellastandem detulit Carolus Brabantinus, Ludovici IV Regis Francorum filius, ad S. Gauderici ecclesiam: unde anno 1047 translatum est ad augustius renovatam S. Michaelis Basilicam, quæ nunc ab ipsa nominatur, velut communi urbis cum Archangelo Patronâ.

Bonum facientes non deficiamus, tempore enim suo metemur, non deficientes.
Gal. 6.